

Similiter animæ præscindenda sunt primo, vitiorum fomenta, eujusmodi sunt occasiones peccandi proximæ, inter quas principem locum obtinet sensuum evagatio. In his enim latent ipsa vitia velut in ovo, e quo facile calore fota prodeunt, ideoque non minus ac peccata ipsa vitanda sunt. Quemadmodum enim puer, cui præcipitur, ne in aquam cadat, nequaquam satisfacit, si a lapsu tantum sibi cavendum existimet, non vero a periculis labendi, idque tum primum quando jam vacillat casui proximus; tunc enim sera nimis cura est. Debet igitur vitare omnia pericula casus, uti juxta ripam fluminis currere, in eo lavare, super glaciem vehi, flumina fragili præsertim scapha trajicere, etc. alioquin enim qui pericula ipsa non devitat, quomodo sibi a lapsu, cum jam labi incipit, cavebit? Sed hæc astutia est diaboli, ut persuadeat hominibus quasi pueris, lapsum tantum eis cavendum esse, non pericula quæ incuriæ pallio tegit, scit tamen interim lapsum facile subsecuturum, modo pericula adeantur. Filii Israel, quia inierunt fœdus cum gentilibus et non disperdiderunt, quas dixit Dominus illis, et commixti sunt inter gentes et didicerunt opera eorum et servierunt sculptilibus eorum et factum est illis in scandalum, ut David, Psal. CV. ait.

Secundo, inclinationes et affectus inordinati ad quamcumque creaturam. Non enim obest possessio alicujus creaturæ, pecuniarum aut honorum; sed amor inordinatus, quo possidentur, cum scilicet res fluxæ sive magnæ sive parvæ cum amore possidentur et cum desiderio quærentur. Multi parum habent, sed illud parum magna affectione tenent, et majora cupide quærent, aut desiderant. Deseruerunt omnes Israelitæ Ægyptum corpore, sed non omnes corde; quia multis adhuc in ore fœtebant Ægypti pepones et allia. Idem patet in uxore Loth. *Affectum igitur debemus hac in re pensare potius quam censum*, ait S. Greg. hom. V. in evang. Porro is præscindendus est quia in se malus est, et malos fœtus gignit, uti inordinatam lætitiā et dissolutionem, cum quid acquirit; tristitiā cum quid perdit; impatientiam, iram, injustitiā cum cupide quærit; curas et anxietates, cum perdere timet.

VI. Eget pampinatione seu purgatione a foliis superfluis cum incipit fructus ad maturitatem perducere; ut sic uvæ liberius aerem purum capiant et calorem solis. Sic anima ut liberius Dei gratiam accipiat et facilius in virtutibus proficiat, exoneranda est a gravibus oneribus externis et internis. Externa sunt, magna opum abundantia, multæ et graves negotiationes, multa et gravia munia sæcularia, quæ licet ex se non mergant

hominem, adeo tamen prægravant, ut difficile respirare et salutem suam vacare possit; inde nullus in virtute profectus, et ubi consenuerit vel obierit nihil inveniet in manibus suis. De quo Os. X. dicitur: *Vitis frondosa Israel, fructus adæquatus est ei, q. d. folia protulit, folia metet.* Quod agnovit Joannes Aragonum rex piissimus senex, qui moriens dicebat adsistentibus: « O felicem pauperum conditionem et illorum securam vitam atque beatam! Qui panem comedunt cum sudore vultus sui, qui vivunt labore manuum suarum! Nam mihi misero, quid regnum, quid honores, quid obsequia plurimorum contulerunt? Quid? Labores scilicet magnos et multos, corporis et animæ pericula, nec unquam ætate tam longa potui mihi dies aliquot videre bonos. O me miserum et infelicem, qui tam sero fallacem mundum cognosco, qui vitam certe vixissem multo meliorem, si non rex, sed pauperis agri cultor fuisset! Marinæus, lib. XVIII. rer. Hispaniæ. Consultum igitur est, exonerare vitam animæ a tali foliorum superfluitate saltem in senectute, ut Dei gratias liberius aspiret et fructus virtutum facilius maturecant. Ac quemadmodum viti non omnia tolluntur folia, sed quæ ab avis tantum remotiora sunt; sic superflua sæculi negotia resecaanda sunt, et quæ longius hominem a virtute avocant. Audi Chrysostomum, hom. XIV. de avaritia: « Noli (inquit) præfinitos terminos prætergredi, ne facultatibus universis exuaris, sed quod superest, reseca. Annon vides quod agricolæ vitem putent, ni vim omnem in pampinis et palmitibus, sed in radice proferat; idem et tu facito. Amputa folia omneque studium huc intende, ut quam plurimum fructum ferat. » Sic Chrysostom. Alioqui si temporalia tantummodo quæris, in quantum sunt tuæ ac tuorum vitæ et statui honeste conservando necessaria, neque in iis neque in ipsa temporalis vita conquiescis; sed si utraque ad Dei cultum referas, non errabis.

Secundo, interna sunt curæ et sollicitudines superflue, quæ et ipsæ suffocant sementem patrisfamilias, faciuntque, ut de virtute, de præscripto rationis, de salute nostra, de Dei cultu, de tremendo judicio, de præparato improbis tartaro pene nihil cogitemus, sed immersi toti in res sublunares id spectemus solum, ut in hac vita bene sit nobis, ac si parerga essent, quæ de futuris commemorantur, essetque animæ et corporis communis interitus.

VII. Eget per hiemem tegumento et quasi tunica, qua foveatur a ventorum et frigoris austeritate. Sic anima quia infestatur partim a vento prosperitatis, elationis et vanæ gloriæ, partim frigore adversitatis, eget etiam sua tunica, ne per

CONCIO IV.

QUA RATIONE OMNES BEATI CONTENTISSIMI SINT SUA GLORIA.

I. Quia omnes vident Deum. — II. Quia omnium beatitudo æterna. — III. Quia omnes Dei voluntati conformes. — IV. Quia omnes præmiantur ultra condignum. — V. Quia omnes communicant sua gaudia. — VI. Quia vident sibi plus non deberi.

THEMA.

Accipientes murmurabant adversus patremfamilias. Matth. XX.

Hæsit forsitan non nemo dubius, cum legeret et in hodierno evangelio, aliquos operariorum murmurasse adversus patremfamilias, quod patrem mercedem dederit iis, qui serius ceperunt cum ipsis laborare. Quid enim, dicet aliquis, annon denarius diurnus mercedem æternam, et operarii beatos denotant? An igitur in cælo murmur? An invidia inter beatos et querela contra Deum? Sed sciendum imprimis est, non omnia necessario applicari debere, quæ afferuntur in parabolis. Quædam enim in illis sunt velut lineamenta circa imaginem posita ad majorem ejus ornatum, etsi non necessaria. Sic capulum in gladio non scindit, servit tamen ad hoc ut acies gladii scindat. Ita in parabola ista non scindit murmuratio, servit tamen ut scindat parabola per responsum murmurati datum. Deinde, murmuratio ista introducitur a Domino, ut gloriæ excellentia ostendatur in magnis sanctis, quæ videlicet tanta sit, ut si invidia in cælo esse posset, et gratia Dei abesset solaque natura consideraretur, murmur oriretur, quamobrem tanta illis gloria collata sit. Sic in obsidione Jerosolymæ Titus ad milites dicebat: *Qui primus murmur ascenderit, invidendum remunerationibus fecero*, ut refert Joseph, lib. de bello, c. I. Denique, propter nos hoc dictum est, quia nos cum simus mali, facile motibus invidiæ pulsamur et quærimus num rationabile sit alios aliis præferre. Et quoniam in gloriæ distributione accidentaliter non servatur æqualitas sed sicut stella differt a stellâ in claritate, ut ait apostolus, ita beati quoque; (in cujus rei ostensionem posteriores operarii prælati sunt prioribus in hodierno evangelio) idcirco scire mox cupiemus, cur iste sanctus altior in cælo locum sortiatur, ille humilior; item qua ratione beati sunt, si videant alios supra se majori gloria conspicuos. Annon beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus et satiari debet appetitum? At quomodo satiabit, si major aliis inest gloria? An-

elationem et impatientiam pereat. Contra ventum vanæ gloriæ induenda est animæ straminea tunica humilitatis, quæ tegat opera ejus bona, eaque non ipsi sed Deo adscribat, qui dedit ipsi ferre tam eximios virtutum fructus, juxta id Matth. V. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est.* Alioquin quid prodest virtutum fructus gignere, si in fine destruantur? *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam*, ait Dominus de illis, *qui omnia faciunt, ut videantur ab hominibus.* Quamobrem David, ut ne sibi hoc eveniret, precabatur Psal. XXXV. dicens: *Non veniat mihi pes superbiæ, id est, da, ut finis operum ant vitæ meæ, non sit superbia.* Contra frigus vero tribulationum induenda tunica patientiæ: quam facile comparabimus, si pensemus nihilo plus nobis quam in fluxis bonis noceri a creaturis posse. Coniunctissimum est animæ corpus, sed fuere tamen qui corpus pro vase tantum et receptaculo hominis habebant, animam solam hominem censentes. Unde Theopompus cum a tyranno tunderetur in mortario: *Pellem, aiebat, Theopompi tundis, non Theopompum.* Quod tamen multo verius dicere Christianus potest, qui novit corpus nil nisi animæ ergastulum esse. Externorum fortunæ bonorum jactura tanto minus adhuc sentiri debet, ut eam S. Augustinus, in Ps. LI. capillorum rasoni comparet. *Quid faciunt sanctis mali?* inquit. *Capillos radunt, nam isti capilli superflua rerum temporalium significant. Quia enim sine sensu præciduntur illi, qui Deo adhærent, sic habent ista terrena tamquam capillos.* Sic ille.

Hæ igitur industriæ sunt ad culturam animæ adhibendæ, et huc omnes nostræ vires adlaborare debent, quamdiu in hac Ecclesiæ vinea sumus. Sed quam multos reperias, qui forte ad hoc nunquam adhuc intenderunt animum! Quam multos etiam, qui ad corporis tantum culturam tota vita attendunt, quasi ad id solum nati sint! Proh miseri et cæci! Num idcirco in hanc lucem nati sumus, ut perituro tantum et fœtenti corpori operam locemus? Non audimus apostolum clamantem ad Rom. XIII. *Induimini Dominum Jesum Christum et carnis curam ne feceritis?* Resipiscamus igitur ab hoc intolerabili errore, et vel hodie incipiamus, neglecto corpore animam excolere. Nulla hora serior est. Venerunt alii ad vineam hora nona, alii hora undecima. Omnes præmiati sunt, quod et nobis largiatur Deus.

non ergo orietur in sanctis livor et æmulatio? Huic igitur nostræ curiositati respondet hic Dominus: *Amice, non facio tibi injuriam.*

I. Quia omnes vident Deum facie ad faciem, in quo consistit essentialis beatitudo, tametsi accidentalis non est in omnibus eadem: appetitus enim humanus etsi infinitus est, expletur sufficienter, cum apprehendit infinitum bonum, licet non secundum omnes modos id apprehendat. Designatur hæc una omnium beatitudo, per denarium, qui perfectum continet numerum, is autem idem omnibus operariis datus est. Ac licet in denariis sit accidentalis quædam varietas, ut cum unus est integrior, alius antiquior, pulchrior, gravior, etc. tamen nihil id curant operarii, modo valor sit idem omnium: sic etiam appetitus beatorum expletur sufficienter in omnibus per essentialem beatitudinem. Hinc etiam cælum domus, et beati vocantur domestici, Proverb. ult. *Omnes domestici ejus vestiti sunt duplicibus*, id est, gloria animæ et corporis. In civitate non omnes possunt videre principem, sed qui in ejus domo sunt. Nonne omnes oculati contenti sunt solis lumine et stellis; tametsi alius alio clarius eos intuat? Aliqui lynceis sunt oculis, vel per tubum vident in cælestibus luminaribus quædam mira magna delectatione, uti maculas in luna, rimas in Mercurio, defectiones et eclipses, necnon conjunctiones et oppositiones siderum, uti mathematici; quæ tamen opifices et alii homines nec desiderant nec curant, quia sufficit ipsis habere lumen solis et stellarum sufficiens ad vacandum operibus suis, ad itinera conficienda, etc. quod tamen astrologis, qui cælorum motus curiosius indagant, non sufficit. Similiter in Deo, sole infinito perfectionum omnium, beatiores vident plures et majores semper perfectiones, et creaturas possibiles: minus beati vident pauciores, sed tamen eundem solem vident, ideoque contentissimi sunt, quia licet æternum videant, hos aspectu semper recreantur, nunquam fastidium capient. Denique, nonne idem liber, v. g. sacræ Scripturæ legitur a pluribus neque eodem fructu neque eodem gustu, sed pari sufficientia? Legit illum puer et videt in eo pulcherrimas imagines; hisque valde delectatur, cætera non curat. Legit illum grammaticus vel rhetor, et miratur constructiones et eloquentiam, hocque satiat, cætera non quærit. Legit illum historicus, et miratur jucundissimas historias in libro Genesis, Exodi, Numerorum, Regum, etc. et aureum dicit hunc librum, tametsi gemmas auro pretiosiores in eo nec videat, nec quærat. Legit illum theologus, et longe accuratius penetrat,

videt enim in illo gemmas sapientiæ theologicæ, mirabilia Dei consilia, perfectiones et opera, supra omnes alios recreatur hac lectione, miratur et stupescit. Denique, legat illum angelus, is omnia quasi in meridie clare intuebitur, intelliget omnia mysteria, omnes obscuritates, videbit quo ordine impletæ vel implendæ sint omnes prophetiæ, quæ in toto libro splendeant Dei attributa, mirabilis præsertim Dei providentia et recondita judicia, et hinc majorem capiet delectationem quam prædicti omnes. Ita se res habet in beatitudine.

II. Quia omnium beatitudo est æterna, fixa et constans, quæ designatur etiam per denarii rotunditatem, in qua finem ostendere aut initium non est. Aliter se habet figura hujus mundi, quia præterit, ait apostolus, I. Corinth. VII. hoc est, inconstans, fluxa est et mendax, veluti si moneta rotunda per mensam currens, decidat: effluit sicut arena in clepsydra, sicut rota fortunæ volvitur, modo elevat, modo deprimit; non ita figura cæli, quæ simul tota et immota consistit, nec præterit aut cadit. Unde fertur, quidam vir cum pluribus in dies majoribusque beneficiis afficeretur a rege suo, interrogatus esse, quid amplius optaret? Nil aliud respondisse, nisi clavum unum, quo scilicet fortunæ rotam sisteret, ne volubilitate illius deiceretur aliquando de summo in imum. Sed hæc est mundi miseria, ut nil subsistat, omnia prætereant. Gloria beatorum constans est nec unquam immutatur, quid igitur beati quicumque tandem illi desiderare amplius possunt? Quomodo non omnes omnimodis contenti sunt, cum sciant se possidere optimam illam partem, quæ non aufertur ab eis? Sane reperiuntur aliqui divites etiam villani, qui si liceret, in hoc modo perennare vellent, nec ullam meliorem sortem appetere.

III. Quia omnes beati conformant se divinæ voluntati, ut ne latum quidem unguem ab ea discedere possint aut velint. Tametsi igitur eam non omnino penetrant seu, ut theologi loquuntur, comprehendunt, cur hoc vel illud ita velit, sciunt tamen et vident esse æquissimam. In mundi creatione nulla creatura invidere alteri nobiliori poterat nec conqueri contra Deum: *Numquid enim dicit figmentum ei qui se finxit: Quid me fecisti sic? Annon habet potestatem figuræ luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?* ait apostolus, ad Rom. IX. Multo minus id fieri potest in glorificatione. Ratio est, quia tantus quisque est, quantum eum vult esse Deus, major esse non potest, quia omne, quod habet, a Deo habet. Aliter contingit in comitiis mundi ubi

longæ semper altercationes fiunt circa præeminentiam, quæ non statim sedari etiam ab imperatore queunt: quia suam quisque excellentiam a majoribus suis, vel a propriis virtutibus, vel aliunde habet. Quod si status omnes omnia sua ab imperatore haberent, ejus ordinationi omnes acquiescere deberent, nec æmulationi locus foret. Ita vero se res habet in cælo. Hoc indicatur in hodierno evangelio, cum ait paterfamilias: *Annon licet mihi facere, quod volo?*

IV. Quia omnes præmiantur ultra condignum, tantum abest ut aliquid decedat alicui. Testatur id apostolus: *Non sunt condignæ passiones*, inquit, *ad futuram gloriam*, ad Rom. VIII. Licet enim merces beatorum hic vocatur tantum denarius ex conventionem promissus, adeoque operi adæquatus, id tamen idem factum, ut merces congrueret cum opere scilicet unius diei. Alioquin enim vocatur thesaurus, margarita pretiosa, regnum, etc. Quamquam hic denarius non est communis valoris, sed significat ipsum Christum, qui est imago Patris, infinitus et cui obediunt omnia, quæ etiam suo modo reperiuntur in pecunia. Ipse igitur Deus est merces beatorum magna nimis, uti ipse dixit Abraham, Gen. XV. Unde considerabunt beati et comparabunt solum magnitudinem præmii sui cum exiguitate meritorum suorum, non cum præmiis aliorum. Quemadmodum si quis rex servis suis donet, alteri majorem, alteri minorem civitatem, alteri plures, alteri pauciores pro servitio unius anni, nullus tunc alteri invidet, omnes sunt contenti, quia tanta non meruerunt; sic Luc. XIX. Dominus pro decem annis dat decem civitates, pro quinque dat quinque civitates. Multæ egregiæ puellæ erant in gynæceo Assueri, nulla tamen invidebat Estheræ, aut de ipsa conquerebatur, quod cunctis esset prælata: quia satis erat ipsis quod ex humili sorte evectæ ad regiam majestatem, auro et gemmis rutilarent, Esth. II. Quid si denique beati omnes tantam benevolentiam, favorem et dilectionem sibi a Deo exhiberi cernant, ut quilibet reputare possit se esse a Deo omnium maxime remuneratum et dilectum? Sane ita se gessit in vita Christus erga discipulos suos. Tametsi enim Petrum et filios Zebedæi ad peculiaria quædam familiarius admitteret, veluti ad mysterium transfigurationis aspiciendum: ita tamen hæc omnia in reliquis apostolis tractandis fovendisque compensabat, ut quilibet eorum sibi in animum posset inducere neminem sibi a Christo anteferri. Hinc enim orta est illa ab apostolis non semel habita contentio, quis eorum videretur esse major, ut Luc. XXII. Marci IX. Non quis major esset, sed quis major videretur, seu quis

maxime videretur sibi a Christo dilectus. Poterit ergo et in cælo quilibet beatorum sibi persuadere se maxime a Deo dilectum et remuneratum esse, si beneficia et dilectionis divinæ excellentiam cum sua tenuitate comparet: quod tamen ibi sine contentione fiet, quia ob vinculum charitatis mutæ, idem aliis quisque optat, quod sibi, ut mox dicemus.

V. Quia omnes communicant sibi mutuo sua gaudia et gloriam, et ita gaudent de aliorum gloria ac de sua; magis enim tunc se mutuo diligunt, quam diligere possit mater filium aut frater fratrem, cum sint omnes filii et hæredes Dei, ut testatur apostolus, ad Rom. VIII. In terris quidem cadere in fratres invidentia et livor solet, cum hereditatem dividunt: quia nimirum hæreditas divisione minor fit, et quo plures sunt cohæredes, eos minorem quilibet obtinet hæreditatem: hinc sæpe inter eos contenditur quod unus plus debito sibi arroget. Annon ita est in cælo, ubi infinita est hæreditas, quæ nunquam exhauritur, nec divisione minor fit? Unde sibi ipsis omnes congaudent et congratulantur de aliorum felicitate æque ac de sua, quod indicavit Dominus in parabola ovis et drachmæ inventæ. Idemque figuratum fuit in septem filiis Job, qui se mutuo ita diligebant ut quotidie per ordinem dierum hebdomadæ faceret unusquisque fratribus convivium; unde fiebat ut omnia eis essent communia, nec minus unusquisque commodi caperet de re familiari fratris sui, quam de propria. « Filii (inquit Origenes, tract. I. in Job), qui septem fuerunt numero et unam habuerunt animam, septem fuerunt personæ et unum erat eis cor, qui dissimiles erant aspectu et facie, similes vero et unanimes mentis concordia atque pietatis communione. » Ne vero hæc conficta putes, audi Augustinum in manuali, c. XXXV. « Certe si quis alius, inquit, quem omnino sicut teipsum amares eandem beatitudinem haberet, duplicaretur gaudium tuum, quia non minus gauderes pro eo, quam pro teipso: si vero duo, vel tres, vel multo plures id ipsum haberent, tantumdem pro singulis, quantumdem pro teipso gauderes, si singulos sicut teipsum amares. Ergo quod erit in illa perfecta charitate innumerabilium beatorum angelorum et hominum, ubi nullus diliget alium minus quam seipsum? » Hæc Augustinus. Quis nescit matrem divitem, auro et argento splendidam, nequaquam invidere filio divitem episcopatum ac splendidum episcopi habitum, sed potius inde vehementer gaudere ac si ipsius esset episcopalis habitus, splendor et divitiæ? Sic rem in cælis habere credito.

VI. Quia singuli vident sibi tantum deberi ac

competere, et non plus. Quod indicavit Dominus cum ait: *Amice non facio tibi injuriam: tolle quod tuum est et vade.* Prout cujusque merita requirunt, talis erit ejus gloria; unde inferior superiori invidere aut gloriam ejus appetere non poterit, quia non habet ejus merita. Quemadmodum si mater habeat decem filias, quarum alia alias tantum statura, quantum annis superent, singulis facit suam tunicam, sed majori majorem, minori minorem; in maximam insumentur decem ulnae panni, in minimam vix duae: nihilominus tamen nulla puellarum istarum mutare cum sororibus volet talarem suam quia sibi ista congruit, alia non congruunt. Sic in caelo alii heroes sunt, qui herculeis laboribus ingentia designarunt stratagemata, qualis Baptista, Petrus, Paulus, etc. et his heroica debetur stola: alii infantes et quasi pumiliones sunt, quibus proinde infantilis stola competit. Rursum si in convivio plures sedeant, alter altero plus vini bibit prout corpulentior vel calidior est, et tamen omnes satiantur et forte inebriantur tam qui minus, quam qui plus biberunt. Idem fiet in caelesti convivio; unde dixit David: *Inebriantur ab ubertate domus tuae et torrente voluptatis tuae potabis eos.* Si qua vero inter ipsos est accidentalit gloriae inaequalitas, ea ab ipsis est, quae proinde ulteriorem appetitum in eis excitare nequit, quod capacitas desit. Quare qui ibi majorem desiderat ornatum, majoresque vult deliciarum haustus facere, hic se extendat oportet, nec cum pusionibus humi repat. Id quod faciebat Paulus, qui ad Philip. III. ait: *Ad ea quae sunt priora extendens meipsum ad destinatum persequor ad bravium supernae vocationis.* Et in hodie epistola monet ut et nos extendamus: *Sic currite ut comprehendatis.*

Ex hoc jam intelligere licebit quamobrem patres veteris testamenti conqueri nequeant se esse postpositos novae legis patribus, cum tamen portarint pondus diei et aestus. Quia verum quidem est, quod ipsi plus laborarunt, tum quia diutius vivebant, tum quia gravius jugum plurimarum legum et caeremoniarum portabant, tum quia vitam conjugalem vivebant, tum quia post mortem multis annorum centuriis denarium suum expectare debebant. His tamen non obstantibus recte praeposuntur vel aequiparantur saltem eis sancti novae legis, quia breviori licet tempore plus operae fecerunt adeoque ex justitia etiam plus promeruerunt, quia scilicet partim majora praestiterunt opera, partim majori fervore. Quando patriarchae vel prophetae relictis omnibus totum pene orbem peragrantes integras ethnicorum provincias ad Dei cultum pertraxerunt sicut apostoli? Quando apud illos

tam copiosus martyrum exercitus pro Deo sanguinem fudit sicut apud nos? Ubi apud illos tot chori sanctarum virginum? Tot pastores et doctores super gregem Dei vigilantes et contra lupos pugnant? Tot eremitarum et monachorum coetus dies noctesque in Dei laudibus consumentes, quemadmodum apud nos? Quare nemo abjiciat animum quia quocumque in statu et quocumque tandem hora laborem inceperimus, superare adhuc alios vel aequare possumus. Nemo etiam sibi applaudat, quia etsi prior ceperit et plus laborarit, potest tamen adhuc ab aliis, qui serius venerunt et minus laborarunt superari et praevirti.

CONCIO V.

QUAM TEMERE AGANT, QUI EX PRÆSUMPTIONE PECCANT.

- I. Quidam ex praesumptione misericordiae divinae. —
- II. Alii ex praesumptione longanimitatis divinae. —
- III. Alii ex praesumptione bonitatis divinae peccant.

THEMA.

An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?
Matth. XX.

Accidit quandoque in rerum natura, ut ea, quae in se maxime salutaria sunt, aliquibus sint noxia et mortifera. Quid magis salutare pane? Et hujus tamen esu moritur accipiter, ut Sanctus Augustinus, de moribus Manich. I. II. c. VIII. Quid gratius est rosa? Et hujus tamen odore enecatur scarabaeus, qui cervus volans dicitur, ut tradit Aristoteles, de admir. c. CXL. Quid suavius unguento? Hujus tamen unctione moritur vultur, ut scribit Clemens Alexandr. prosag. I. II. c. VIII. Sed nimirum hoc ideo fit, quia vultur et accipiter cadaveribus delectantur iisdemque inhiant, scarabaeus vero fimo. Ascendendo supra naturam inveniemus non minus mirum, quod videlicet homines aliqui ex ipsa Dei bonitate, misericordia et longanimitate, unde alii homines vitam et omnia bona sumunt, ipsi sibi exitium et perditionem hauriant. Quid magis inauditum, et magis deplorandum? Hoc certe in hodierno evangelio miratur ipse Dominus, et quasi fieri non posset, interrogat: *An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?* q. d. fieri potest, ut quis ex mea bonitate deterior reddatur? Atque utinam hoc non saepissime fieret! Incipit hodie Ecclesia denuntiare nobis annum placabilem et tempus acceptabile, quo ad poenitentiam nos invitat promittens Dei misericordiam libera-

liter effundendam super omnes peccatores quadragesimali tempore. Hinc forte aliqui dicent aut cogitabunt: Liceat ergo his diebus Baccho dedicatis, indulgere ventri et voluptatibus, audere etiam aliquid, quod alias non licet? Venit enim quadragesima, in qua Deum nobis reconciliabimus, et totum animae negotium facile componemus. Misericors enim est Deus, qui facile placatur una confessione. Longanimis est Deus, qui expectat peccatorem ad opportunum tempus poenitentiae agenda. Insuper etiam bonus est, qui non tantum connivet illi, sed etiam prospera largitur. Optimus panis Dei misericordia, optimum unguentum Dei longanimitas, optima rosa Dei bonitas; sed videte ne vobis haec in perniciem cedant, quae aliis dant vitam. Ego nihil dubito, talibus dixisse Christum nostrum patrem familias: *An oculus tuus nequaquam est, quia ego bonus sum?* Quam sententiam ne aliquando audiamus in die, qua cuique nostrum sua merces distribuenda erit, caveamus quantum possumus, ne ex praesumptione hujusmodi peccemus. Cui rei servient, quae dicemus.

I. Aliqui dicunt: Misericors est Deus, poenitentes libenter recipit, nec multum ab illis exigit: una sacerdotis absolutio totum negotium conficit, etc. Sed, videant, ne hic impingant. Nam primo, sine gratia Dei praeviente et excitante nos ad poenitentiam converti nemo potest. Quis autem hanc Dei gratiam sibi polliceri audet? Quis eam manibus suis clausam tenet? Gratia non esset, si in potestate nostra esset, vel debita ac certa nobis esset. Facile quidem pisces ingrediuntur nassam sed per se exire nequeunt: pari modo homo cadit quidem facile, nequit tamen per se resurgere: homo seipsum interficere potest, sed seipsum revocare ad vitam nullo modo potest. Christus dixit: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum,* Joannes VI. Sanctus Petrus quando Christum tertio negavit et quidem semper pertinacius, cum juramento et anathemate, periisset utique tunc, nisi eum Christus suo respectu traxisset ad poenitentiam. *Magnum dogma,* inquit Sanctus Chrysostomus, *a Petro discimus, quia videlicet nullo modo hominis voluntas sufficit, nisi auxilio superiori roboretur, etc.* Respexit ergo Dominus Petrum, et inde flevit Petrus: quod si Dominus Petrum nunquam respexisset, flere utique Petrus nunquam incepisset. Cur enim non flevit Judas, caeteroqui poenitentia ductus, nisi quia Dominus eum non respexit? Et cur apud inferos perpetuae sunt tenebrae et corda damnatorum in glacie obstinationis perpetuo concreta, nisi quia illorum demeritis sic exigentibus, divinae misericordiae radius in eum

locum nunquam defigitur, nec in omnem aeternitatem unquam defigetur? At forte ex viventibus pauci admodum sunt, quibus negatur hic obtutus? Itane vero pauci? Circumfer quae oculos in totum hoc mundi amphitheatrum et invenies propemodum centum nationes a Christi fide alienas et diversis sectis deditas, paganismo, mahumetismo, judaismo, haeresi, schismati, donec unam reperias christianam; et illas tamen omnes nonne deserit Christus et sinit in suis erroribus mori ac perire? Quotusquisque est ex tanto illo numero, quem aspectu suo dignatur et revocat ad fidem? Deinde, ex Christianis elige quamvis civitatem, oppidum aut pagum, et videbis majorem partem vitiiis esse addictam et in illis consensescere, mori et interire. Quid ergo tibi aliud poteris praedicere, quam eundem te cum impiis sortiturum finem, qui eodem modo vivis? An forte cum tu nascerere, caeli exultarunt? Aut judicia Dei ad te solum obmutescunt? Si Deus angelis peccantibus non pepercit, si praevariantes filios dilecti sibi Davidis infelici exitu sustulit e mundo, tibi soli parcat.

Praeterea qui ex tali praesumptione male agunt, hoc ipso se indignos reddunt Dei misericordia, et gratiae praevienti januam ocludunt quia in ipsum remissionis principium peccant, quod est Dei misericordia. Quemadmodum indignus est, qui ecclesiae immunitate gaudeat, is qui in ipso templo sub ipse immunitatis homicidium patravit aut membro aliquem mutilavit, ut statuit Gregorius Nonus, cap. ult. de immunitate ecclesiarum: ita qui sub spe divinae misericordiae, quasi asyli sui peccat, meretur ejus beneficio privari. Fugit ad hoc asylum bonus latro et immunitatem invenit, ita est: sed is tamen non peccaverat sub spe asyli hujus; alioquin absque dubio misericordiam Dei speravit, sed post, non ante peccatum. Ante peccatum justitia Dei timenda est, post peccatum misericordia speranda, ut docet S. Gregorius, I. XXXIII. moral. cap. XV. Communiter dici solet, quod fortissimi quique male pereant, uti natatores, pugiles, et qui in arboribus scandendis excellunt: ratio est, quia tales nimium de se praesumere solent, nulla non pericula adeunt. Sic dum Milo Crotonienses temere manus in fissuram quereus immittens divellere eam tentat, excusso cuneo quereus se recludens manus ejus compressit, sicque affixum feris lacerandum praebuit, Strabo I. VI. Fortissimus Polydamus, dum in subterranea specu cum sociis ad symposium sederet, forte fortuna maximo cum fragore spelunca superne dirupta est, patentibusque rimis crebrioribus, dum socii fuga sibi consulunt, solus ipse